

Forfatter: Ewald, Johannes

Titel: Johannes Ewalds samlede skrifter

Citation: Ewald, Johannes: "Johannes Ewalds samlede skrifter", i Ewald, Johannes: *Johannes Ewalds samlede skrifter*, Gyldendal, (1969), s. 118. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/text/adl-texts-ewald03val-shoot-idm140321582123648.pdf> (tilgået 25. april 2024)

Anvendt udgave: Johannes Ewalds samlede skrifter

§. IV.

Ut de iis, qui vel in fictione vel in versificatione, vel demum in enthusiasmo essentiam poëseos quæsiuerunt, haud multa faciam verba; istud tantum monebo, partes loco totius amplexos fuisse; quod Batteux solide satis demonstravit, quem conferant, quicumque hæc de re voluerint esse certiores. His quoque missis, qui, jam allatis longe inferiores, loco definitionum elogia poëseos plane sesquipedalia in medium proferunt, eamque modo artem plane divinam, modo omnium artium complexum modo præstigiaticam, modo creatricem vocant; unum tantum asseram: ab Aristotele, usque ad Boilavium & Marmontelium neminem adhuc accuratam omnique numero absolutam, poëseos definitionem in medium protulisse. Quidam ex parte tantum de poësi egerunt, ut Aristoteles: de Tragoediâ scilicet & carmine epico. Alios, ut Horatium, ipsa poëseos ratio poësin recte definire non sivit. Quilibet facile videt, poëtam potius pingere, quam definire versus hosce:

Ingenium cui sit, cui mens divinior atque os, Magna sonatorum, des nominis hujus honorem. Hor. Lib. 1. Serm. IV. v. 43. Alios sine dubio ipsa 119 artis amplitudo inter arctos definitionis limites eam redigere vetuit. Sunt enim, ut supra, poëseos partes, quæ ad principium imitationis referri, & sunt, quæ non referri possunt. Dantur carmina, quorum objectum est naturæ imitatio, sunt quoque quæ ipsam naturam scopi instar habent. Sunt denique mixta, ubi utraque suis funguntur partibus. Si vero imitatio certum principium non est, ex quo essentia poëseos deduci, & ad quod omnes artis hujus species referri possunt; plurimis consentientibus tale principium habemus plane nullum. De principio fictionis, versificationis & enthusiasmi antea diximus. His addi potest istud, quod Racine senior affectuum vel perceptionis loquelam appellat; quod vero epicum carmen, nec non quamplurimum, quod cum poësi commune habet pictura, excludere videtur. Summe venerabilis Dr. Cramer, optime huic defectui obviam iri credit, si & verarum & fictarum perceptionum mentio fieret.